EXERCITATIONES PALAEOGRAPHICAS

IN

BIBLIOTHECA VNIVERSITATIS LVGDVNO-BATAVAE

INSTAVRANDAS INDICIT

S. G. DE VRIES

EIVSDEM BIBLIOTHECAE CODD. MSS. CONSERVATOR

(INEST COMMENTATIVNCVLA DE CODICE CICERONIS CAT. MAI. ASHBVRNHAMENSI NVNC PARISINO)

LVGDVNI-BATAVORVM

APVD E. I. BRILL SOCIOS

M. OCT. AN. 1889

Feriae aestiuae iamiam ad finem uergentes et nouus qui incipit annus academicus monent nos, commilitones aestimatissimi, ut instauremus quas proximo anno in hac nostra Bibliotheca incohauimus exercitationes palaeographicas. Ad quas publice hoc loco uos inuitare decreui. Significandum enim uidetur qua ratione eas exercitationes instituere mihi proposuerim ut utiles reddantur studiis uestris, nec nostris communibus studiis philologicis sint sine aliquo fructu. Et bipartito quidem diuidere eas uelim: eos uestrum qui rudes adhuc estis artis palaeographicae, elementa docebo, et ex insigni Bibliothecae Leidensis codicum mss. thesauro exempla iis proponam uariae uariarum aetatum et nationum scribendi rationis, explicabo uaria compendiorum genera ceteraque quae in legendis codicibus sunt obseruanda nec tumultuario opere sed uia et ratione exercenda. Namque hac nostra aetate ars palaeographica, diu neglecta et leuis habita, tandem coli est coepta quantum meretur, neque quemquam qui ueteribus litteris operam dat prorsus eius expertem esse oportet. Ex qua diligentius cognita quantum fructus redundet in tractandis ueterum scriptis non est quod pluribus uos moneam. Fundamentum enim est atque subsidium utilissimum illius artis quae omnis doctrinae nostrae est summum et praecipuum: a r t i s c r i t i c a e. Omnem enim interpretationem cum praecedere debeat lectio emendata, cumque igitur id non ultimo loco sit enitendum ut quae nobis manserunt ueterum scripta reddantur quam emendatissima, sano quidem iudicio opus est ante omnia et eruditione solida, sed haud ita multo minorem in modum artis etiam palaeographicae cogni-

tione accurata, qua ad ipsos ducimur fontes quaque uaria in codicibus obuia mendorum genera et cognosci saepius et explicari possunt. Quod profecto non latuit umquam principes in re critica uiros, ueluti Maduigium cuius egregiam de re critica disputationem „A d u e r s a r i i s c r i t i c i s" praefixam probe nouistis. Minime uero id latebat Academiae nostrae praesidium et dulce decus, Cobetum, nunc propter aetatem et per legis necessitatem immunem et cum uehementi nostro omnium dolore aduersa ualetudine laborantem, sed uobis iunioribus ex immortalibus quae condidit scriptis quam maxime uenerabilem, nobis, qui Cobeti discipulos nos gloriamur, omnis solidae doctrinae cum iudicio et elegantia coniunctae uiuum exemplum. Et iucundissima mihi subit memoria annorum in quibus eo duce Graecos Bibliothecae nostrae codices mss. tractare mihi licuit, et sub tali magistro in legendis et explicandis ueterum libris me exercebam. Nec facile quidem dictu quid magis admirandum in eius lectionibus uideretur, summa eius in legendis codicibus uel difficillimis lectu sollertia, uel eximia doctrina et ingenii subtilitas qua auctores ueteres, quos memoria paene omnes tenet, et explicare et a uariis librariorum erroribus uindicare unus omnium scit optime. Cuius exemplo excitatus — si parua licet componere magnis — alacriter insistam uiam ab illo monstratam, et hoc inprimis agam ut, cum codices nostros legere et rite aestimare doceam, amore quodam erga uenerabiles illos antiquitatis testes uos imbuam.

Cum prouectioribus uero uestrum qui codicum numerum uidistis satis magnum et in euoluendis iis iam estis exercitati, codicem certi alicuius auctoris antiquissimum cum puluisculo excutere uelim sic ut omnibus lectionibus uariantibus enotatis et diligenter perpensis uideamus numquid noui ad emendandum inde possit parari. Quod ut uestris studiis accommodetur, eligendus uidetur aut liber aliquis qui in lectionibus academicis uobiscum tractatur, quemque igitur in ueteri membrana perscriptum uidere

prae ceteris amabitis, aut talis cuius codicem unum uel plures seruat Bibliotheca nostra dignos qui accuratius examinentur. Non enim paruus est aestimandus eorum codicum numerus qui aut incogniti adhuc sunt aut, etsi iam olim in usum uocati, non tamen ita diligenter excussi sunt ut cum cura et oculorum acie examinantibus spicilegium non offerant satis amplum. Unde fructus haud spernendos ad emendationem posse redundare facile intellegitur. Quod superiore anno comprobare uobis studui adhibitis in exemplum duobus uetustissimis codicibus Leidensibus qui Ciceronis de senectute libellum continent et maximi esse momenti merito iudicantur. Nec dubito quin memineritis me data illa occasione uobis laeto animo ostendere codicem eiusdem libelli pulcherrimum quem illo ipso tempore e Bibliotheca Rei Publicae Gallicae Parisina acceperam et qui optimam de se spem facere uarias ob causas uidebatur. Quem postquam et incognitum adhuc uidi et optimi generis esse cognoui, accuratius paullo hic tractare decreui uariasque eius lectiones uobiscum communicare. Pauca autem de codicibus iam cognitis et a uariis uiris doctis in crisin uocatis praemonenda duxi haece.

Ciceronis de senectute libelli recensio nitebatur fere tota in celeberrimo codice Parisino, olim Regio, 6332, saec. IX (cod. P), qui Tusculanas quoque Disputationes continet et uarias ob causas inter pretiosissimos libros manuscriptos Latinos est habendus; palaeographicas uero ob rationes ideo momenti est maximi, quia per cola et commata seu *στιχηρῶς* est scriptus, scilicet ut „sententia a sententia, et periodus a periodo, uisibili, ut ita loquar ratione separentur" [1]). Quae ratio distin-

1) Verba sunt Ioannis Croii, sacr. et hist in Nou. Foedus Obseruatt. (Geneuae, 1645) c. XI, p. 93, allata a B. Dahlio qui in libello saepius a nobis citando II, p. 5 sqq. optime de ea distinguendi sententias ratione disputauit. Nec minus laudandus hoc loco est Gardthausenus, qui in sua „Griechische Palaeographie" pag. 127 sqq. post Ritschelium, Hugium alios fusius hanc rem tractat.

guendi singulas sententias in Demosthenis et Ciceronis scriptis rhetoricis ad recitanda commodius uerba iam olim est adhibita, ut testis nobis est S. Hieronymus in Iob. I, p. 473, qui et ipse „nouo illo scribendi genere distinguere" coepit libros sacros Latinos. Quorum numerus nobis superest sat magnus ueluti pulcherrimus codex Paris. 107 Epistulas S. Pauli Graece et Latine scriptas saec. VI—VII continens, cuius specimen dedit Silvestre in: *Paléographie universelle*, tom. II, tab. 80. Libri uero profani per cola et commata scripti quantopere sint rari haud ignoratis; unum sic scriptum uidere uestris oculis meministis codicem quem Bibliotheca Leidensis seruat Vossianum Lat. in quarto 63, saec. VIII, Gregorii Turonensis Francorum historiam continentem et ex Guil. Arndtii „Schrifttafeln" tab. 13 notum.

Parisini autem illius libri ope uerba uere Ciceroniana permultis locis restitui poterant. Multa quoque quae inprimis Maduigius, uir immortalis memoriae, ex acerrimo suo ingenio iam olim emendauerat, ille codex confirmauit et stabiliuit. Primus quod sciam qui praestantissimi codicis collationem uulgauit, fuit Io. Casp. Orellius in priore Ciceronis operum editione, tom. IV. 2. an. 1828. Sed qui illius in usum conferendi negotium susceperat, Iulius Berger, parum accurate eo munere functus spicilegium amplum reliquit N. B. Krarupio, qui Maduigii studiis ut utilis esset codicem iterum excussit [1]). Deinde Carolus Halmius lectiones a Keilio enotatas editioni Orellianae alteri an. 1861 subiecit. Nuper uero Bastianus Dahl totum librum — quoad Catonem Maiorem continet — laudabili diligentia de nouo contulit et uarias inde lectiones cunctas publici fecit iuris in libello cui inscripsit: *„Zur handschriftenkunde und kritik des ciceronischen Cato maior. II. Codices Parisini"* [2]),

1) Cf. edit. Maduig. an. 1835. praef. p. V sq. (= Opusc. Acad. II. 267).

2) Christianiae, 1886. Ex: *„Christiania Videnskabs-Selskabs Forhandlinger* 1886. *N*°. 12."

ubi etiam pag. 4—10 quam accuratissime de hoc codice egit.

Reliqui autem quos ex ingenti copia electos codices examinarunt Orellianae posterioris editores Parisino illi longe erant postponendi. Quorum uetustissimi Parisino aliquot saeculis recentiores manum interpolatricem haud raro sunt experti neque sine summa cautione hic illic in usum uocandi: id quod ex apparatu critico editioni illi addito statim apparet.

Optime igitur est factum quod Theodorus Mommsen, uir clarissimus, anno 1862 inuenit in Bibliotheca hac nostra codicem Vossianum Lat. in fol°. 12 (cod. L) Parisino neque aetate nec bonitate multum cedentem et ipsum egregias lectiones non paucas continentem et a manu altera, priori fere coaeua, diligenter correctum ad ipsum Parisinum, qui inuicem ad Leidensem illum correctus uidetur [1]), ita ut ad comparandas inter sese et diiudicandas lectiones uarias sit summi momenti habendus. Quod exemplis aliquot allatis docuit Mommsenus in relationibus menstruis regiae scientiarum Academiae Berolinensis d. 5 m. Ian. an. 1863, pag. 10 sqq. Statimque postquam sic in lucem protractus est Vossianus 12, multi uiri docti eo sunt usi et symbola minime spernenda ex eo attulerunt. Quos plerosque enumerauit Dahlius l. l. I (an. 1885) pag. 6; addendus autem prae ceteris est iis u. d. Sommerbrodt, qui et ipse Lugduni in Bibliotheca librum inspexit et collationes ab ipso Mommseno et a Gemollio institutas adhibere potuit in recensenda editione

1) Codices Latinos iam antiquitus inter se collatos saepius esse constat, sed exempla supersunt haud ita multa. Saec. IX Seruatius Lupus Ferrariensis abbas in epistula (ed. Baluz. an. 1664. pag. 4) Einhardum rogat ut codices aliquot illum in finem sibi commodentur: „Tulli de rhetorica liber, quem quidem habeo sed in plerisque mendosum. Quare cum codice istic reperto illum contuli et quem certiorem putabam, mendosiorem inueni." (Cf. P. Schwenke in supplem. ad *Philologum*, tom V, pag. 405 sq.). — Item in codice saec. IX Monasterii S. Richarii Centuli rogatur:

Claudiani librum mihi uestrum mittite quaeso,
Per quem corrigere nostrum ualeam male falsum.

Et in codice Stabuletano saec. X legitur: „Vsque huc contuli de codice Sancte Melanie Rome. Cf. Guil. Wattenbach, *Schriftwesen* pag. 193.

quam notis utilissimis instructam nunc iam undecies emisit [1]). Pauca uero quae adhuc restant dubia de libro propter crebras rasuras et correctiones non ita lectu facili. confidimus breui solutum iri a u. d. E. Hedicke, qui codicis quam accuratissime denuo excutiendi negotium nuper suscepit.

Singulare uero L codicis meritum si argumentis hoc loco est demonstrandum, afferendus praesertim est locus notissimus c. III, § 8, ubi reliqui quos nouerant editores libri omnes exhibent: „Nec hercule, inquit, si ego Seriphius essem, *ignobilis* (seu *nobilis*), nec tu, si Atheniensis *esses*, clarus umquam fuisses." Vocabula autem *ignobilis* et *esses* e glossatoris cuiusdam ingenio addita et postea in contextum esse recepta iam olim est ostensum a Puteano, confirmatum a C. Langio [2]). Quae glossae in uno L non inueniuntur nisi superscriptae a manu altera. Vnde docte effecit Baiterus in Philologi tom. XXI (1864) pag. 535 hunc ipsum esse codicem Petri Danielis a Grutero in notis ad Cic. l. c. citatum uerbis hisce: „Puteanus quod non fuisset vox *ignobilis* in uno veteri codice Danielis, nisi à manu recenti, in altero verò nihil illius loco; arbitrabatur repeti *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ clarus* ......: itaque restituendum putabat, *seriphius essem nec tu si Atheniensis*, *clarus unquam*. cui subscribo" [3]). Reuera enim L librum esse ueterem codicem Danielis apparet ex cod. fol. 12 (26) ubi Daniel sua manu inscripsit: „*Ex libb. Petri Danielis Aurelij* 1560."

Mommseni igitur et Baiteri meritis cum sit factum ut alter e duobus illis Danielis codicibus a Puteano citatis sit repertus et in doctorum uirorum notitiam peruenerit [4]), mirandum non

1) Cf. praefationes eius ad editiones V, IX, X = pagg. 15 sq. et 18 in edit. XI.

2) Cf. edit. Maduig. praef. p. IX (= Opusc. Acad. II. 271).

3) Apte Dahlius l. l. I p. 5 not. 1 confert Iac. Gronoui notam in edit. an. 1692, p. 1360: „sane ita uidi et ipse in libro uetere *si ego Seriphius essem nec si*, et superscriptum *ignobilis*."

4) Alius liber qui *ignobilis* glossa a manu prima caret inuentus est a Dahlio in cod. Parisino 18340 olim S. Germani a Pratis, saec. XII. Qui tamen deterioris est familiae neque in censum uenire hac in re potest. Cf. Dahl, l. l. I, 7 not.; II, 12. n°. 5).

est post Baiterum esse ortum desiderium ingens recuperandi alterius eius libri qui glossa *ignobilis* et a priore et a posteriore manu prorsus careret. Hunc invenisse sibi uisi sunt sub eodem fere tempore et Dahlius et Gemollius in codice Leidensi Vossiano Lat. in oct. 79, ubi fol. 1'—27' libellus de senectute est scriptus saeculo, non ut illi iudicant X, sed IX: id quod certis argumentis potest demonstrari quodque comprobauit uir in rebus palaeographicis haud dubiae auctoritatis Aem. Chatelain, qui in egregio suo libro „Paléographie des classiques Latins" tab. XLI specimen illius codicis dedit pulcherrimum.

Aptissime autem conuenit is codex cum altero illo uetere Danielis: est enim u e t u s c o d e x et unus glossa *ignobilis* et in ipso uerborum contextu et in margine caret. Quare iure statuisse mihi uidentur duo ii uiri docti Vossianum 79 (cod. V) esse ipsum illum Danielis librum a Puteano adhibitum. Nam quod Petrus Daniel non, ut adsolebat, nomen suum inscripsit in libri fronte, non est quod nimis nos moueat; constat enim et alios quosdam libros eius bibliothecae sic ab eo insignitos non esse, ueluti Seruianos aliquot in Bibliothecis Bernensi et Parisina adseruatos, ut ostendit Aem. Thomas in epistula ad B. Dahlium data (l. l. II. pag. 20 not.) Accedit aliud maioris momenti argumentum: codex ille Leidensis Vossianus ad Is. Vossium peruenit e bibliotheca celeberrima P e t a u i a n a; Paulus autem Petauius permultos ex uetustioribus suis manuscriptis libris acceperat a Petro Daniele, quo mortuo bibliotheca est diuisa inter Petauium et Iacobum Bongarsium [1]), unde codices Danielenses nunc sunt aut in Bibliotheca B o n g a r s i a n a B e r n e n s i aut in Bibliothecis quae P e t a u i a n o s

1) Cf. H. Hagen, „der Jurist und Philolog Peter Daniel aus Orleans" et „Jacobus Bongarsius" in: „Zur Geschichte der Philologie und zur röm. Litteratur" passim. Idem in praefat. Catalogi codd. Bernensium. — L. Delisle, „Le Cabinet des manuscrits de la Bibl. Nat." II, 364.

continent, scilicet **Vaticana**[1]) cui dono eos dedit Christina Sueciae Regina, quae totam bibliothecam Petauianam ab Alexandro Pauli filio emerat, **Leidensis**, in quam permulti Petauiani ab Is. Vossii Christinae bibliothecarii heredibus peruenerunt, denique **Parisiensis** et aliae quaedam quae codices aliquot Petauianos post uarios casus et occasionibus uariis sunt adeptae.

Codicem uero V fuisse in bibliotheca Pauli Petauii docet ultima tituli qui ei praefixus est linea a Petauio sua manu scripta et numerus *A*. 41 quo ab eo est insignitus fol. primo. A Paulo patre eum accepit Alexander Petauius, in cuius bibliotheca fuit n°. 1027, ut catalogus illius bibliothecae manuscriptus quem seruat codex Leidensis Vossianus Lat. in quarto 76 docet foliis 78, 81, 85'.

Veri igitur est simillimum[2]) codicem V esse ipsum illum ueterem Danielis librum, et gratias habeamus necesse est iis qui codicem indagarunt[3]) et in crisin uocarunt, cum praesertim sit liber perbonus et P et L codicibus haud absimilis nec pretii minoris, ut apparet ex collationibus a Gemollio in **Hermae** tom. XX (1885) pag. 331—340 et a Dahlio l. l. I pag. 10—25[4]) editis. At uero collationes illae quas in itinere et temporis angustiis impediti neque eadem in conferendi negotio usi edi-

---

1) Cf. B. Dudík, Iter Romanum, I, 123 sqq. — H. Stevenson, codd. mss. Graeci Reginae Suecorum ..... Bibl. Vaticanae (1888) pag. IX sqq.

2) Cuius rei aliud etiam documentum idque certissimum speraueram me posse proferre e libro quodam Bernensi typis impresso (n°. 59 [Lit. 121; 516] = n°. G. 85 in Hageni Catal. Bern. pag. 523) quem ipse Daniel cum „codice suo" contulit. Sed fefellit me ea spes. Nam cum illum librum summa liberalitate huc ad me missum inspicerem statim uidi unum ibi a Daniele excerptum codicem esse Vossianum 12 (L) a Mommseno inuentum et ab ipso Dan. nomine suo insignitum.

3) Nam a nullo eorum qui de Cicerone scripserunt quidquam ex eo codice erat relatum. Sed notus iam olim fuit Ruhnkenio et collatus ab illo cum editione Schreueliana, ut indicatum inueni a Petro Bondamo in codice Leidensi Perizoniano in quarto 79 A, fol. 15.

4) In iisdem quos nominaui libellis Dahlius diligentissime disputauit de reliquis quoque codicibus Leidensibus et Parisinis, qui tamen praeter illos P. L. V. non multum fructus ad emendationem conferre uidentur. Vnus ex iis minoris pretii libris — Leidensis Vossianus Lat. in fol. 104 — collatus exstat apud Gemollium in **Herm.** l. l.

tione instituerunt, quaeque postea ab iis codicem ipsum sub oculis non iam habentibus typographo erant mandandae, fatali quadam lege ubique quam accuratissimae esse non poterant. Quod cum dictas ob causas minime uelim uitio uertere uiris doctis optime de Cicerone meritis, dolendum tamen summopere iudico. Plurimis enim locis cum aliud quid enotarit Gemollius, aliud Dahlius, et cum manui priori quaedam ab altero adscribantur quae alterius et recentioris manus esse perhibet alter, dubia de codice tanti momenti relicta sunt nimis multa, neque imago eius satis fidelis nobis ubique est proposita, ut conquesti iam sunt Guil. Friedrich in censura libri Dahliani inserta in „Wochenschrift für klassische Philologie" IV (1887) col. 879 sqq. et Paulus Schwenke in utilissima commentatione de Hadoardi Presb. excerptis Ciceronianis, pag. 551 [1]). Quorum querelas postquam iustas esse ex iterata codicis lectione persuasum mihi habui, uni ex uobis qui studiis palaeographicis in hac Bibliotheca mecum operam datis, Cornelio Hofstede de Groot, auctor fui ut Dahlii et Gemollii collationibus usus integrum codicem de nouo quam accuratissime excuteret. Speramus autem fore ut is collationem summa cum cura a se iam absolutam breui in lucem emittat.

Interim disputare hoc loco mihi proposui de codice adhuc incognito, qui tribus illis quos enumeraui uetustissimis P. L. V. libris quam proxime accedit aetate nec minus bonitate. Est hic codex nuper demum in Bibliothecam Rei Publicae Gallicae Parisinam illatus e bibliotheca instructissima Ashburnhamensi, una cum incredibili illo antiquissimorum codicum thesauro quem Guilelmus Libri et Iosephus Barrois nefando facinore ex uariis Galliae bibliothecis publicis olim furati Ashburnhamo Comiti uendiderant. Hoc enim modo esse congestas partes celeberrimas Librianam et Barroisianam quae in bibliotheca

---

1) In: supplementis ad Philologum tom. V.

Ashburnhamensi erant et longe maximae et pretiosissimae, Leopoldus Delisle, uir incomparabilis, summa cum eruditione, diligentia, sagacitate disputationibus [1]) utilissimis simul et pulcherrimis luce clarius demonstrare non desierat, per quas communem, ut ita dicam, opinionem excitauerat, praeclaros illos thesauros tam turpiter e patriae bibliothecis subreptos utique esse restituendos uel saltem redimendos [2]). Neque abhorrebat a tali negotiatione Ashburnhami Comitis filius et heres; sed insanum pretium postulando omnem de iis recuperandis conatum irritum faciebat. Tandem anno 1888 quod tota Gallia perficere haesitabat, id unus Parisinae Bibliothecae Praefectus perfecit: ingentibus — ipsi praesertim grauissimis — sacrificiis partes illas Librianam et Barroisianam uindicauit non cunctis quae olim spoliatae fuerant bibliothecis, sed uni Bibliothecae Parisinae, in quam mense Februario an. 1888 sunt illatae.

Sed quid narro rem notissimam et per omnem orbem litterarium celebratam, cuius historia in uariis quae solidioribus studiis sunt consecrata diariis fusius est relata? Et quis qui de ea uel fando audiuit, uehementer non admiratur uirum de litteris non minus quam de patriae honore sollicitum et sua sagacitate suaque eruditione gloriam Bibliothecae celeberrimae cui praeest augentem, unde praeclaram sibi ipse laudem merito parauit et in dies parare maiorem pergit? Ipse Delislius solita modestia, sed solita etiam doctrina et subtilitate de tota hac re egit libello singulari quem praefixit quoque nouo Catalogo sub tit.: „Bibliothèque Nationale. Catalogue des ma-

1) Quarum praecipuae hic sunt nominandae: Notice sur les manuscrits disparus de la Bibliothèque de Tours pendant la 1e partie du XIXe siècle [Extrait des Notices et Extraits des manuscrits de la Bibl. Nat. etc. tom. XXXI, 1e partie] Paris, 1883, et: Notice sur des manuscrits du fonds Libri conservés à la Laurentienne à Florence [*ibid.* tom. XXXII, 1e partie] Paris, 1886, prae ceteris uero qua rem summam multorumque annorum laborem comprehendit: Les manuscrits du Comte d'Ashburnham. Rapport au Ministre de l'Instruction publique etc. Paris. 1883.

2) Cf. inprimis quae disputauit de hac re Paulus de Lagarde in „Nachrichten der K. Gesellschaft d. Wiss. zu Göttingen," d. 15 m. Ian. an. 1884.

nuscrits des fonds Libri et Barrois, par Léopold Delisle cet. Paris. 1888." Non enim contentus tanto conatuum suorum euentu Vir Illustrissimus catalogum integrum breuissimo temporis spatio in lucem emisit, utque quam celerrime de eximio eorum pretio possent iudicare homines litterati, magnam insigniorum codicum partem uix ex Anglia aduectorum publice uisentibus exposuit in Bibliotheca Parisina.[1]) Inter quos thesauros cum autumno proximo uidi codicem antiquissimum et pulcherrimum qui Ciceronis Catonem Maiorem continet, magnum mihi est ortum desiderium eum librum accuratius examinandi, ut inuestigarem siquid noui ad emendanda Ciceronis uerba inde possem lucrari. Quod postquam communicaui cum Bibliothecae Praefecto cui ob uaria et magna in me collata beneficia toto pectore eram obstrictus, melius etiam quam sperare poteram studiis meis statim est consultum. Vix enim libris publice expositis certus in Bibliotheca locus fuit adsignatus, et catalogus typographorum officinam reliquit, cum pretiosissimus codex liberalissime Lugdunum ad me missus est, ubi per otium eum excutere licuit. Pro quo nouo in me et Bibliothecam nostram benignitatis testimonio hoc etiam loco gratias sinceras Viro summo offero.

Codex autem ille Ashburnhamensis nunc Parisinus Bibliothecae Rei Publicae Gallicae Latinus *Nouv. acq.* 454 (*acq.* 8070, *Libri* 21), citatus in Delislii catalogo quem iam nominaui sub n°. XLI (pag. 58 sq.), forma quam dicimus in quarto maiore, alt. 240, lat. 200 m. (ipso autem contextu sine marginibus alt. 180, lat. 132 m.) scriptus est per extensum singulis lineis non intercisis, in membrana pulchra, coloris albidi sufflavi, optime pumice expolita, saeculo nono fere medio, litteris minusculis erectis, in titulis uero litteris maiusculis

1) Cf. „Notice d'un choix de manuscrits des fonds Libri et Barrois exposés dans la salle du Parnasse français [de la Bibliothèque Nationale]. Paris. 1888" et W. N. du Rieu in „De Nederlandsche Spectator," 1888, n°. 48.

Ibidem anno 1807 inspectus est a Chalmelio, sed postea uidetur latuisse liber pretiosissimus; nam Gustauus Haenel eum an. 1826 frustra quaesivit [1]). Repertus uero est breui post; anno enim circiter 1840 memoratur a Chauveau Bibliothecae Turonensis praefecto in catalogo manuscripto quem seruat Bibliotheca Parisina, fol. 4': „Cicero, de Senectute; de Somnio Scipionis. Macrobii commentarium in Somnium Scipionis. Parchemin. N°. 33. Xe siècle (*sic*). Volume in-4°. Saint-Martin."

Post annum igitur 1840 circ. codex e Bibliotheca Turonensi est subreptus; anno 1847 a Guilelmo Libri [2]) venditus est Ashburnhamo Comiti, ex cuius bibliotheca nuper, ut dixi, a Parisinae Bibliothecae R. P. G. Praefecto est emptus.

A nullo umquam accurate examinatus uel collatus uidetur hice codex nisi ab uno Bréquigny, qui saec. XVIII fere medio quaedam de eo adnotauit in chartis quas manuscriptas inuenit in Bibliotheca Parisina Delislius. Qui l. l. pag. 109 inde citat ex. gr. haece: „J'ai parcouru un manuscrit auquel le catalogue donne plus de 800 ans d'antiquité, l'assignant positivement au règne de Charles le Chauve; je n'y ai rien vu qui détermine expressément cette date. C'est un in-quarto, en beau vélin, et parfaitement bien écrit. Il paraît avoir été revu et corrigé avec soin, et les corrections me paraissent être aussi anciennes que le manuscrit même. Il renferme divers ouvrages: 1° le traité de Cicéron *de Senectute;* 2° le *Somnium Scipionis;* 3° le commentaire de Macrobe sur ce morceau de Cicéron. Il y a des scholies interlinéaires sur le traité *de Senectute*, du même âge que le manuscrit, mais ce ne sont que de misérables notes qui décèlent l'ignorance la plus grossière.... J'ai collationné

---

1) Gust. Haenel, Catalogi libror. mss. col. 481.

2) Ipse Libri librum sub n° 21 descripsit in hunc modum: „M. T. Ciceronis Cato major de Senectute. Item Somnium Scipionis. Manuscrit sur vélin, à longues lignes, in-folio carré, du IXe siècle. L'écriture de ce manuscrit est très belle. Le traité „de Senectute" est accompagné d'un ancien commentaire, également du IXe siècle."

environ le tiers du traité *de Senectute* de ce manuscrit sur l'édition de Robert Estienne (1543, in-8°), et j'ai marqué les variantes à la marge de mon exemplaire....." Nihil tamen ex hoc codice a Bréquigny in lucem esse emissum inuenimus.

Quod autem in bibliotheca Monasterii Sancti Martini Turonensis olim fuit hic codex, optime id conuenit cum ipso quo utitur librarius scribendi genere. Litterarum enim et minuscularum, quibus codicis corpus, ut ita dicam, est scriptum, et uncialium et capitalium quae in titulis et in subscriptione adhibentur, permagna est similitudo cum pulcherrimis iis quas in Monasteriis Turonensibus — praesertim uero in Monasterio S. Martini — usurpatas esse constat, ubi schola uere „calligraphica" Carolo Magno et Alcuino auctoribus instituta floruit per longam annorum seriem et optima bene pulchreque scribendi exempla uniuersis dedit. Quod testantur multi nobis seruati codices, inter quos haud ultimum obtinet locum pulcherrimus codex Leidensis Vossianus in fol. 73, qui Nonii Marcelli opus continet, et ex uariis editionibus Nonianis, praesertim ex nuperrima a Luciano Muellero curata (Lipsiae, in aedibus B. G. Teubneri) optime est notus.

Illius uero „scholae calligraphicae" Turonensis quae sint inprimis propria examinare et enumerare non est huius loci. Obseruari in uniuersum sufficiat Caroli Magni temporibus illos scripturae reformatores procul recessisse a consuetudine aetatis Merouingicae, et liberos fere ab ingenti Hibernorum seu Anglo-Saxonum auctoritate rediisse ad ipsa antiquissimorum codicum Romanorum exempla. Ceterum allegamus ad ea quae plurimis locis monuit Bastardus Comes in splendidissimo suo libro: „Peintures et ornements des manuscrits" et ante hos paucos annos eruditissime disputauit Delislius „Mémoire sur l'école calligraphique de Tours au IXe siècle [1]." Quod uero ad co-

1) »Extrait des Mémoires de l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres, tome XXXII, 1re partie. 1885."

dicem hunc Parisinum attinet, paucis hic citabo quae ob rationes palaeographicas uidentur memorabilia. Codicem significabo per A compendium: manum priorem per A^1, alteram per A^2. Paginae et lineae citatae sunt editionis C. F. W. Mülleri, Lipsiae, in aedibus B. G. Teubneri, MDCCCLXXXVIII.

Capitales litterae imitantur antiquissimas Romanas; cf. Delislii tab. I. — E est I simillima, qui uberrimus est mendorum fons, non solum in capitalibus, uerum etiam postea in minusculis, ut exempla infra docebunt plurima. In minusculis autem litteris initialibus quae hic illic inueniuntur, E ita est scripta ut ab I decerni aegre possit.

Litterae unciales quae in titulis passim adhibentur, optime sunt comparandae cum Delislii tab. II, et cognoscuntur ex eo quod sunt antiquissimis Romanis concinniores, magis artificiosae et exquisitae, et ut ita dicam, ponderosae.

In minusculis litteris *a* scribitur *a*, interdum ɑ; saepius uero *a* Carolingica quae *ci* uel *cc* est simillima. — *e* saepius cum lineola obliqua accurate superscripta *é*, cf. Wattenbachii „Anleitung zur latein. Palaeographie" edit. 4, pag. 48, l. 7. — *ae*, *æ*, *e*, *ę* nullo discrimine scribuntur [1]), e. g. inuenitur *aetas*, *etas*, *ętas*, immo et *&as* et *a&as*. — *i* interdum litterae praecedenti est subscripta, ueluti *ag*$\underset{i}{r}$, *uide*$\underset{i}{r}$, *ube*$\underset{i}{r}$*us*. Item A^2 in gloss. ad fol. 10′ l. 14 m. $\underset{i}{e}$ = *ei*, fol. 3′ l. 2 *fla*$\overset{n_i}{m}$*inus*. — N capitalis saepissime in mediis uocabulis, nec minus in initio et in fine: *a*N*imus*, *se*N*atu*, N*ec*, *a*N. Sic A^2 quoque: *i*N*quit*, *i*N*euntis*. — *r* interdum scribitur R, praesertim si coniungitur cum *o*: OR cum lineola ducta per R, compendium pro *-orum*. — Confunduntur inter se *e* et *i* saepissime, *p* et *r* fol. 7′ l. 26 et 27 *accirite* et *ortimi* pro *accipite* et *optimi* (corr. A^2). Item *u* et *o*: *lacertus* pro *lacertos*, *laxatus* pro *laxatos*. — *a* et *e*:

---

1) Quare singula uerba cum *ae* uel *e* aut *ę* scripta in collatione indicare nolui, nisi iis tantum locis ubi de eorum scriptura ambigitur.

sanatu, *sacrates*, *conpensenda*; sic **144** 5 *defatigatio* A^1, *defetigatio* A^2, **142** 24 *enarrauit* A^1, *eneruauit* A^2, **160** 8 *plane* pro *plene*. — *c* et *t* saepius confunduntur: *societas*, *ociosam*, *hospicio*, *offitii*, *sotiis*, *parci* pro *parti*, cet. — *d* pro *cl* scribitur in *diem telas*, **144** 14 pro *clientelas*.

Ligaturae sunt inter *c* et *t*, *s* et *t*, *r* et *t*; contignationes quae dicuntur inter ɴ et ᴛ, ɴ et *s*, *u* et *s*, *u* et ᴛ, in mediis uocabulis et in fine saepius. cf. Wattenbach, pag. 55, 59, 62.

Codicem deriuatum esse ex exemplari quod scriptura continua quae uocatur, id est singulis uocabulis inter se coniunctis, erat scriptum, apparet ex aliquot locis ubi male est distinctum, ueluti pag. **135** 22 *quia misso* pro *qui amisso*, **139** 29 *omni utescere* pro *ommutescere*, **137** 23 *qua est aresolebant* pro *quae stare solebant*, **147** 21 *feruora &atis* pro *feruor aetatis*, **148** 6 *uicissima ut* pro *uicissim aut*, **159** 5 *tanta escientiae* pro *tantae scientiae*, **160** 22 *m& antos* pro *me tantos*, cet. — Dittographiae quam dicimus exempla sunt: **161** 32 *quod delector* pro *quo delector*, **160** 22 *diuturnos* pro *diurnos*, cet.; haplographiae contra **136** 13—14 *bella se gesta* pro *bella a se gesta*, **143** 28—29 *quodnita* pro *quod ni ita*, **139** 25 *gorgianum* pro *gorgian num*, **154** 25 *moruitia* pro *morui* (*morbi*) *uitia*, cet.

Compendiis utitur librarius haud ita multis, nec nisi notis et intellectu facilibus. Citabo tantum: qn̄ = quando, qm̄, qnm̄, quō (**147** 8, **151** 33) = quoniam, aut̄ = autem, d̊t = dicit, dr̄ = dicitur, insipient̄ = insipienter, a&̄nus = aeternus, m̄ⁱ = mihi, n̄r̄ = noster, ūr̄ā = uestra, n̄ = non, s̄t = sunt, dn̄ō = domino, ds̄ = deus, s̄p̄m̄ = spiritum, ēē = esse, quod A^2 bis male dissoluit in *eses*. — In A^2 semel (fol. 22 l. 22) inueni ʜ pro *enim* (Wattenbach, pag. 73), semel quoque litteram Graecam in uocabulo Latino, in gloss. marg. ad **136** 18: Π*anathenaticus* cum Π Graeca. Sic Dahlius II, 18 e Parisino P citat *a*Π*te* pro *apte*, et ita in codicibus antiquissimis interdum inuenire me memini Π*ater*, Φ*ilius*, *a*ΠΠ*aruit*, Π*assio*, cet.

Sententiae singulae satis bene sunt distinctae; interpunctionis signa sunt: punctum, quae est distinctio finalis, ; media, interrogandi signum quod est apud Wattenbachium pag. 91, l. 7. Interlocutorum nomina singula in dialogo non plenis uerbis sunt adscripta, sed initialibus tantum litteris cum numero apposito in hunc modum: pag. **132** 31: I. SC. **132** 37: II. C. **133** 27: III. L. 32: IIII. C. cet.

In rebus orthographicis quae praesertim sunt obseruanda hic sub unum conspectum redigam. Pertinent huc et *ae* et *e* inter se confusae, de quibus iam dixi, itemque confusio litterarum *b* et *u*, orta scilicet ex pronuntiandi uitio, ut **132** 29 *explicauit* pro *explicabit*, **143** 11 *habitus* pro *auitus*, **154** 37 *aceruitatem* pro *acerbitatem*, **161** 1 *habeo* pro *aueo*. Sic et *moruitia* **154** 25—26 pro *morbi uitia*. Eiusmodi autem uitiorum exempla aliquot citari sufficiat: fusius de iis agendum hic non uidetur post Corsseni maxime librum notissimum, nec minus Hugonis Schuchardtii „Vokalismus des Vulgärlateins," quem iis qui codices antiquos sunt tractaturi commendare non satis possum.

Omittitur nonnullis locis *g*, ueluti **160** 27 *eriens* pro *erigens*, contra **146** 18 *regi* pro *rei*, quae correxit A^2, quae ipsa ad **142** 14 scribit *agax* pro *aiax*; sic **135** 23 *fuerat* habet A^1, *fugerat* A^2. — *h* additur interdum ubi omittenda, omittitur raro ubi addenda erat, ueluti *habundat*, *umeris*, *aut* pro *haut* (*haud*), saepius *his* pro *iis* (*is*), *hisdem* pro *iisdem*, *ostibus* pro *hostibus*, *habeo* pro *aueo*, **151** 8 *hominibus* pro *omnibus*, 13 contra *omnis* pro *hominis*. Saepe *h* omittit A^2: **139** 17 interdici] *proiberi*, **141** 6 exercentes] *exibentes*, **143** 11 habitus (avitus)] *quem abuisti*, **145** 21 inpelleret] *traeret*, **146** 16 *exortatus*. Semel superscripta est *h* ab A^2: **137** 5 avocet] *abstra^{h}at*. Cum *h* scribuntur *pulcher*, *sepulchrum*, cet. — Pro *ph* scribitur *f* in *elefanti*, *Xenofontem*, sed *ph* in *Sophocles*.

i pro *ii* inuenitur **155** 33 *di*, sic **140** 5 *dis* A^2, ubi *diis*

A[1]; *dii* contra **138** 10, **148** 14. *appii* **137** 26, sed *apii claudii* **137** 18. — *eis* saepius pro *iis*, quod semel (**137** 12) correxit A[2]. Plurimis tamen locis manus prior scribit *hi*, *his*, *hisdem*, quod sedulo plerumque correxit A[2], quodque in censum uenire uix potest, cum et *haec* scribat A[1], ubi *ea* corrigit A[2]: **151** 5. — *i* et *e* promiscue fere scribuntur in *intelligere* saepius et *intellegere*, quod **160** 7 corrigit A[2]; *colligere*, *neglegere*. Sic **136** 15 *eliganter*, ut est quoque in cod. P auctore Keilio in editione Orelliana altera; sed tacet de ea lectione Dahlius. *ingrauiscentem* est **133** 30, *ualitudo* **143** 26 ab A[1] (ut et 28 et 36), *ualetudo* ab A[2], contra **144** 12 *deleratio* ab A[1], *deliratio* ab A[2].

i non *u* legitur in *lacrimis*, *existimem*, *conliuione*, *libido*, *libere* saepius, bis ab A[2] mutatum in *lubere*. — Superlatiui exeunt in *imus* ut *maximus*, *facillimus*, *optimus* saepius, mutatum ter ab A[2] in *optumus*. Sed *monumenta* est ab A[1] **144** 28.

adolescens et *adoliscens* scribitur saepissime, semel ab A[2] *i* in *e* est mutata **143** 4. *adolescit* tamen est **149** 35 et *adolescens* **141** 2 ab A[1]. Item *uinolentia*, *somnicolosae*, *iocundus* plerumque, sed **148** 19 *iucundius*, **147** 27 *conputationem* ab A[1], *conpotationem* ab A[2], **157** 15 *uult*, **140** 11 et 12 *uult* ab A[1], *uolt* ab A[2], **149** 4 *pseudulo*, **143** 19 *postolantur* A[1], *postulantur* A[2].

Gerundiorum formas tam in *endum* quam in *undum* exeuntes notauimus: *ueniendum* et *ueniundum*, *gerendum* et *gerundum*, *appetendum*, *ferendum*, *ingrediundum*, *adserundum*.

In assimilatione quae dicitur praepositionum in uerbis compositis uariat codex saepius, praeualent tamen formae non assimilatae, praeterquam quod in *ad* praepositione consonantis sequentis ratio fere semper est habita, ueluti *accommodare*, *affere* (semel *adfert*), *affligere* (*afligere* A[1]: **142** 24), *allectare*, *ammodum*, *amminicula*, *ammirari* (sed **161** 28 *anmirari* A[1], *admirari* A[2]), *apparere*, *appellare*, *appetere*, *apportare*, *appropinquare*, *arripere*,

assensu, **134** 26 *asecutum* A[1], *assecutum* A[2]; *assurgi*, sed et *adsensus*, *adsum*, *aspectans*, *attulisset*.

conliuio, *conparare*, *conpensare*, *conputatio*, *conpressu*, *conplere*, sed bis *complecti*. — *disserti* = *diserti* **141** 20. — *efferor* A[1], semel *ecferor* A[2], *exequi* et *exsequi* promiscue, *extinguere*, *exstructis*.

inbecillus, *inlacrimans*, *inludi*, *inlustris*, *inmissio*, *inmoderatio*, sed *inmortalis* et *immortalis* promiscue; item *impedire* et *inpedire*, *impellere*, *inpendere*, *inridere*, *inrigare*. — *opprimere* et *obprimere*, *ommutescere*. — *subcumbere*. — Bis *repperio*, alias *reperio*.

Additur *p* in *contempnere* (sed et *contemnere*), *contemptus*, *consumptus*, cet. Geminatur in *obreppere*, *obreppit*. — Scribitur *quendam*, *eundem*, *quicquam*, sed *umquam*, *numquam*, *quemquam*, *tamquam*, *quascumque*. — *literae* et *litterae*, *quattuor*, *tolerabilis*, *solers* et *sollers*. — *diogenen*, *socraten* (= *Isocraten*), et *socratem*. — *cotidie*, **144** 32 *quidcoque* A[1], *quid quoque* A[2]. — *cartago*. — *diuersorium*. — *thesaurus*. — *haud* uel *haut*, cet. cet.

Sequuntur nunc uariae lectiones omnes enotatae ad editionem Teubnerianam C. F. W. Mülleri, qua et Dahlius in conferendis codicibus est usus, quamque igitur prae Halmiana aliisque citandam esse duxi. Exemplum meum prae se fert annum MDCCCLXXXVIII, sed iam aliquot annis ante in lucem emissa editio uidetur.

Inscriptio: M (in ras.) TULLII CICERONIS CATO MAIOR DE SENECTUTE.

pag. 131.

1 (c. I. § 1). *adiu//ero* (A² adscr.: *pro adiuuero*).

curam‿ueleuasso: s posterior in ras. (A² adscr.: *uel leuauero*).

2 ad *fixa* A²: *et qua deprimeris*

4 *mihi* om. A¹. addid. A².

3 *&quid:* ad *&* A² adscr.: *hec uel ecce*

premii A¹. *prȩmii* A².

7 *quanquam* ex *quamquam* erasum.

pag. 132.

1 *cognomen non solum*

2 *prudentiam* in ras. A¹.

te A².

3 *&* (A² adscr.: *uel te*) *eisdem* (*e* prior in ras.) A¹. *eisdem* A².

5—6 *mihi est uisum*

8 *etiam* induxit A².

9 *leuari uolo: i u* in ras.

etsi te quidem A² in marg.

aeque ex *aequt* A¹, quod induxit A .

10 *laturum: um* in ras. A¹.

certe A¹. *certo* A².

11 *uellim* A¹. *uellem* A².

16 *sati* (s superscr.)

17 *laudare* A¹. *laudari* A².

que A¹. *qui* A².

parat A¹. *pareat* A².

19—20 *librum M. ad te*

21 *ut aristo chius* A¹. *aut aristo* A² in marg. adscr.

23 *ammirantes*

istam. Distinxit A².

27 *id tribuitur* A¹. *attribuito* A².

29—30 *explicauit* A¹. *explicabit* A².

31 *ammirari*

31—32 *hoc lelio* A¹. *hoc G. lelio* A².

33 *sapientiam* A¹. *uel paci[entiam]* superscr. A².

35 *&hna*

37 *haut* A¹. *haud* A².

37—133. 1 *leliam mirari*

pag. 133.

3 a se] *as//e* (in ras.: *a*).

ipsi] *uel ipsis* sup erscr. A.

eis A¹. *iis* A².

6 *adepti* A¹. *adeptā* (ut uidetur) A² cum gloss.: *consecutam*

7 *atque: t* in ras. A¹.

8 *obreppere* A¹. *obrepere* A².

putauissent

8—9 *Primῡquis* ex *Primitiuis* corr. A¹.

9 qui] *uel quid* A² in marg.

9—10 *aduliscentiae*

10 *aduliscentia*

obreppit A¹. *obrepit* A².

11 *eis* A¹. *iis* A².

12 *quasi* A¹. *quā si* A².

15 *ammirari*

17 *optimam*
20 *discriptę* (sic).
20–21 *ab in//erti poeta*
23 vietum] *uctū* A^1. *uietū* A^2 c. gloss.: *curuum*
24 *ferendum*
25 *diis* A^1. *dis* A^2.
27 *Atqui//* (in ras.: *a*) c. gloss. A^2: *certe*
28 *procipione*: superscr. *s* A^1.
29 *fieri ut multo ante*
30 *dedicerimus* A^1. *didicerimus* A^2.
ingrauiscentem
35 *tamquam* expunxit A^2.
36 *quo* ex *quod* erasum.
pag. 134.
4 Salinator] *intor* A^1. *salinator* A^2 in marg.
spurius
7 *eis* A^1. *iis* A^2.
8 id] omisit A^1, addid. A^2.
10 *usu euenirent*
reliquis‿que
11 *natu* sed prior ı in ras. A^1.
12 *querela* ex *quęrela* erasum.
laxatus A^1. *laxatos* A^2.
13 *dispicerentur*
14 *querelarum* ex *quęrelarum* erasum.
15 *difficeles* A^1. *difficiles* A^2.
17–18 *mo//lesta est*
19 *Est: t* in ras. A^1.
20 *opes// & copies & dignitatem*
23 *Est: t* in ras. A^1.
istuc erasum ex *istud* c. gloss. (A^2): *pro istud*
23–24 *senequaquam:* superscr. *d* A^1.
24 *themisto‿cles.*
26 *suae* A^1. *sua* A^2.
glorię A^1. *gloria* A^2.
asecutum A^1. *assecutum* A^2.
27 *herculem; Quid* A^1. *hercule inquit* A^2.
30 *de summa inopia* A^1. *in summa inopia* A^2.
senectus: ct in ras. A^1.
31 *nec sapienti quidem*
33 *senectutes* A^1. *senectutis* A^2.
35 *eferunt* A^1. *ecferunt* A^2.
pag. 135.
1 *benę*
1–2 *benefactorum*
2 *iocundissima*
quintum
3 *recipit* A^1. *recepit* A^2.
4–5 comitate condita] *co//tate condita* A^1. *cv aetate condita* A^2 c. gloss.: *urbanitate cōposita.*
5 gravitas] *uirtus grauis* A^1. *comitate condita* et *grauitas* A^2 in marg.
moris A^1. *mores* A^2.
8–9 cumque eo] *cumque ego* A^1. *cum quo ego* A^2.
9 *quarto consule*
10 *profectus: f* in ras.
adterentum A^1. *adtarentum* A^2.
11 *questor* ex *quęstor* erasum.
deinde.... sum] haec quinque uocabula desunt. In marg. A^2 addidit: *deinde aedilis quadriennio. post factus sum prętor.* Ad quod tamen uocabulum ultimum glossa: *& dicitur pretor quod ceteros preiret in dignitate* iam in ipso glossarum marginalium contextu adscripta legitur.

quem] *quō* A[1]. *quē* A[2].
12 *chethego*
13 *Tum quidem ille ammodum*
cincie A[1]. *cinthie* A[2].
